


T A V R I C A

C H E R S O N E S V S.

Taurica Cherfonesus, quam Præcop & Tartariam minorem hodie appellant, ampla peninsula, Inter Pontum Euxinum & Mæotim vsque ad Bosphorum Cimmerium, qui Europam ab Asia discernit, porrigitur. Eam mediam horridi & ardui montes velut Apenninus Italiam in boream & australem dirimunt. Australem, cuius metropolis est Capha 63:38. 47:15. olim dicta Theodosia, emporio celebris Mahometes anno 1475. occupavit, & sibi tributariam fecit. In boreali vero parte Tartari, Crimei vulgo appellati latissimos inter Boristhenem & Tanaim campos, pascuis subinde mutatis peruagantes, sedem Regiam annos iam fere quadringentos habuerunt oppidum Crimæum 63:18. 47:38. vnde & Crimæi Tartari appellati fuerunt. Hi postea perfosso Tauricæ ad insulæ formam istmo, circa fossam eam quam Præcop appellant, ciuitatem eiusdem nominis & Regiam sedem 62:12. 48:12. cum condidissent, Præcopenses Tartari inde dicti sunt. Horum Rex Turcis confederatus & socius, cum proprios fratres (instigantibus Turcis) à quibus bello petebatur, submouisset, & Capham obfidione premeret, à suis consiliarijs ad hoc amplis muneribus corruptis, cum duobus filiis in frustra concisus, Ottomanicæ amicitie infelix exemplum præbuit. Eo enim occiso Tartari, qui hæcenus liberi & indomiti, ex socijs & fratribus Ottomannorum facti sunt serui & ad similitudinem aliarum Turciarum prouinciarum non Regem, sed Beglerbegum, id est, Vice Regem accipere coacti sunt. Quale autem sit Turcicum imperium, ne actum quod dicitur agamus, ex VValachiæ & Græciæ inscriptionibus facile potest cognosci, eo Lectorem breuitatis causa remittimus. Præter Casan autem & Astrachan regna Tartarorum, qui agros colunt domosque inhabitant & nunc Mosco subijciuntur, præterque dictos Præcopenses, sunt & alij Tartari campestris, qui cateruatim in campis nullis finibus obseruatis degunt & in hordas veluti in quasdam prouincias, à quibus & cognominantur, diuisi sunt, de his suo loco Asiaticis videlicet tabulis dicemus.

Medius meridianus 63. reliqui ad hunc inclinantur ratione 48. & 52. part. Meridiorum.

XXIX





TAVRICA
CHERSONES.
VS.
Nostra aetate
Præcopica et
Gazara
dicitur

MARE MEGGIORE
Seu
Pontus Euxinus quondam Axenos
id est inhospitalis, dicitur, teste Plinio

MARE
Germanica Communia
Per Gerardum Mercatorem Cum Privilegio

